

Beiheft

2

S 100

1180.

[11  
107

Bischof Hermann von Münster bestimmt für 2 Güter die Zehntabgaben.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Hermannus, Dei gratia Monasteriensis episcopus secundus. Dies mali et homines ad malum proni, aetas lubrica et iusticiae tenuis memoria, pauperum infirmitas et tollerabilis exactorum importunitas quodammodo de necessitate nos virtutem facere compellunt, eo videlicet tenore, ut dignitatem privilegiorum magnis et arduis dumtaxat negotiis institutam ad consolationem oppressorum ex habundanti benevolentia etiam ad inferiora inclinemus. Praesentium itaque ac posterorum noticiae transmittimus, quod nos quorundam fidelium nostrorum petitionibus annuentes cuiusdam ministerialis nostri Godefridi de Schonebeke duas domos, quorum altera in Westendorp sita est, altera Bruninchoff nuncupatur, a decimatorum improbitate integraliter exemimus, ea quippe dispensatione et pacto stabilito, ut quicumque coloni praenominatas domos excoluerint, de una, id est Westenthorp, tres solidos, de altera, id est Bruninchove, quatuor solidos et quatuor denarios decimatori suo annuatim persolvant et sic a decimali exactione prorsus se gaudeant emancipatos. Hanc quoque pactionem

ea cautela stabilivimus, ut Johannes de Dulmana, qui supramemoratas decimas a nobis in beneficio tenuit, et Olicus, qui eandem ab eodem Johanne beneficialiter possedit, parem praeberent assensum. Ut igitur haec nostrae benignitatis concessio stabilis et inconcussa consistat, praesentem paginam sigilli nostri testimonio munitam conscribi fecimus successorum nostrorum serenitatis commendantes, quatenus affectum nostrum intuentes, quod benigne egimus, et ipsi relinquunt inconcussum. Acta sunt haec dominicae incarnationis anno M<sup>o</sup>C<sup>o</sup>L<sup>o</sup>XXX, praesentibus et collaudantibus honestis viris tam clericis quam laicis, quorum nomina haec sunt: Werenbaldus Varlarensis praepositus, Otto prior in Assbeke, Brunwardus prior in Varlar, Hartungus notarius; Lutbertus de Beveren, Rutgerus de Birebeke, Bernardus de Dulman, Albertus dapifer.

Kopie im Kopiar S. 135/136.